



# **Disputatio juridica trigesima septima ad Lib. 24. & 25. Pandectar.**

<https://hdl.handle.net/1874/340994>

DISPUTATIO IVRIDICA  
TRIGESIMA SEPTIMA  
Ad

Lib. 24. & 25. Pandectar.

Q V A M

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi, Consultiſſimique Viri,*

D. CYPRIANI REGNERI AB OOSTERGA,

J. U. D. nec non ejuſdem Facultatis in Illuſtri

Rheno-Trajeſt. Acad. Profeſſ. Pand. Ordinarii,

*Publicè defendendam ſuſcipie*

GOEDEFRIDUS Vander SCHUER L. A. M. Hag. Bat.

*Ad diem 11. Decemb. horis locoque ſolitis.*



ULTRAJECTI,

Pro HERMANNO RIBBIO,

\_\_\_\_\_  
Anno M DC L.

Nobili, Generoso, virtute Heroicâ  
ornato, Strenuoque Viro.

DD. JOHANNI van WYNBER-  
GEN, Domino de Horssen &c. Ca-  
taphractorum turmæ Summo Præfecto, mi-  
litum Duci ac Tribuno &c. Slusæ, Aerden-  
burgæ, Oostburgæ, Isendicæ, totius partis  
Flandriæ sub generalium Ordinum pote-  
state detentæ; Urbium primarum, omni-  
um terræ Cadstantiæ ac Vryæ munimen-  
torum, propugnaculorum, præsidiorumque  
Circumvallatorum Gubernatori fortissi-  
mo, Domino Fautorique meo in æternum  
colendo.

Hoc Iuridicum exercitium in æternum ac  
indelebilis observantiæ Symbolum

D. D. D. c. q.

GODEFRIDVS vander SCHVER L.A.M.

Resp.

DISPVTAIO IURIDICA,  
TRIGESIMA SEPTIMA,

Ad Lib. 24. & 25. Pandectarum.

T H E S I S I.



**A** D L. 1. 2. 3. & seqq. tit. 1. Lib. 24. quaeritur, an rationes in *dd. ll.* propositæ pro donatione int. vir & uxor. prohibita solidæ sint, & ex Iure Gent. de promptæ, an vero propriæ populi Romani? Aff. posterius. *dd. ll.* quæ significant, à majoribus & moribus introductum esse, ne inter vir. & uxor. donationes valerent. Adde *Gothof. ad d. l. 1.* Præcipua autem ratio videtur, quod alioquin facile divortia contingerent, quæ temere & ex bona gratia permittebantur. *l. 32. §. 10. h. t.* imo cædes & pericula vitæ metuerentur. Quæ cum apud Nos cessent, & tantum apud Italos valeant, ut loquitur *Fred. à Sande* circa pacta de futura successione. *t. 3. tit. 2. de Feud.* merito illi mores (variant enim hic. *Zyp. in Notit. Iur. Belg. Nicol. Burg. in prolog. ad consuetud. Fland. Groeneveeg. ad h. r. Mornac. ad d. l. 1. Chassan. tit. de iurib. conjug. præferendi sunt,* qui à Iure Civili divortium fecerunt. Ratio in promptu est; quia cuique domino libera rerum suarum dispositio concedenda est. *Marth. 20. l. 21. C. mand.* donec contraria ratione fortiore impediatur, quæ hic nulla est, ut cuilibet sine præiudicio expendenti facile apparet. Si quilibet bene meritis donationibus præmiandus, cur conjux conjugi donare prohibetur, qui patrem & matrem derelinquere debet, & adhærere cõjugi, maxime si auctore iudice donatio celebrata est? *Fasch. de diff. jur. civil. & Sax.* Quinimo si vir & uxor non sunt mutuo amore spoliandi, ergo donatio inter illos admittenda est. Quid ergo, si maritus constante matrimonio centum millia puta, adquisiuit, & uxor sine liberis mortua sit, heredes uxoris

ris auferentne marito dimidiam partem? Aff. Iure Divino, & Moribus, quibus omnia aduersa & prospera inter vir & uxor. cummunia sunt. Diff. *Costal. ad d.l. 1.*

I I.

Ad *d.l. 3. pr. & §. 10.* quæritur, an dicta donatio saltem valeat, si juramento confirmata est? Exercitii causa disputo quod lubet. In quam alias sententiam sim proclivior, patet tum ex *thes. 1. tum ex nostr. ad tit. de pact. & jurejur. Vide Gothof. add. l. 1. Christin. ad h.t. C. tit. 16. decis. 137. n. 3. Chassam. d. tit. Sed posito, quod donatio jurata valeat, sitne caduca, si donatarius ante donatorem mortuus sit, an transfertur ad heredes ejus? Aff. posterius. *l. heredit. 62. de R. I. junct. c. cum conting. ext. de jurejur. l. 35. C. de donat.* Quin ipsum legatum in abstracto loquendo ad heredem transmitti, licet legatarius mortuus sit ante testatorem, probavi ad *Tit. Inst. de legat.* Diff. vide apud *Christin. d. decis. n. 4. Fachin. 3. c. 81. Scip. Gent. lib. 3. c. 25. Zoef. ad h.t. n. 18.* Sed quid, si maritus vel uxor in pactis antenupt. sibi reservavit facultatem donandi constante matrimonio? Non tamen valebit donatio. *dd. ll. & arg. l. 32. §. 22. h.t. junct. l. 29. de legib.* Sed qui sentit, jus civile (quod donat. int. vir & uxor vetat) iniquum esse, potestne salva conscientia in dicto casu pronunciare pro donatione? Subsisto, sed vel affirmativam vel negativam partem defenturus. Diff. vide apud *Chass. d. dit. Christin. d. decis. in. 1. Tinaq. ad l. 8. C. de rev. donat.* Quid denique de donatione renumeratoria statuendum? Idem *dd. ll. junct. l. 8. de Public. in rem act.* Diff. vide apud *Fachin. 3. c. 80. Busf. ad l. 7. h.t. Christ. d. decis. Zoef. ad h.t. n. 16.**

Ad *§. 2. & seqq. d. l. 3.* quæritur, an hodie cessante patria potestate Romanorum, donatio generi in locerum vel similem prolata valeat? Stante Iure Civili non valet. *dd. ll. & l. 4. C. eod.* Ratio est, quia Ius Civile in dictis textibus relatum non solum ex patria potestate subsistit, sed etiam ex eo precipue, ne fiat per obliquum, quod directe prohibitum est, test *Christin. d. decis. n. 7.* Diff. vide apud *Groveveg. ad d. l. 4. & §. 5. C. h. t.*

I I I.

Ad *l. 5. pr.* quæritur, an *d. pr.* iniqui juris sit? Aff: quia mo-

ra Titii non debet nocere alteri, maxime jure novo, quo dominium rei donatæ statim intelligitur translaturam. *d.l. 35. C. de donat. qua d. pr. corrigi, probabiliter statuitur. Vide Autumn. & Costal. ad d. pr. An & quomodo valeat donatio inter sponsum & sponsam de presenti, significavi in disp. 34. Diss. vide apud Costal. hic. & Chassan. in d. t. §. 2. in fin.*

Ad §. 13. & seqq. & l. 31. §. 7. h. t. queritur, an Moribus nostris (quibus heres mortuo testatore Dominus & Possessor rerum hereditariarum habetur) maritus heres repudians hereditatem causa donationis donasse videatur uxori heredi substitutæ, vel ab intestat? *Aff. d. l. 3. §. ult. Diss. vide apud Autumn. ad d. §. 13. & Groeneveeg. ad l. 6. que in fraud. credit.*

Ad l. 7. §. 6. queritur, an etiam fidejussor à marito ob dotem datus obligetur? *Aff. arg. d. §. 6: Ratio est in l. 2. de jure dot. Moribus hæc res extra controversiam videri debet. Diss. vide apud Treutl. th. 4. d. disp. 7. lit. h. & ibi Bacchov. Groeneveeg. ad tit. C. ne fidejuss. vel mandat. dot.*

Ad l. 14. queritur, an stante jure Romano donatio in d. l. facta recte valeat? *Aff. d. l. 14. cujus ratio vel in sola commiseratione casus consistere potest. Diss. vide apud Autumn. Mornac. ad d. l. 14.*

Ad l. 15. §. 1. §. 3. queritur, an vestimenta vel alia ornamenta muliebria uxori à marito tradita præsumatur donata, an commodata? *Aff. posterius in casu dubio. dd. ll. Sed quin aliæ circumstantiæ aliam inducere possint præsumptionem, nullus dubito. Moribus efficaciter donata censentur. Groeneveeg. ad §. 8. d. l. 31. Diss. vide apud Treutl. thes. 9. lit. a. & ibi Bacchov. Quid ergo de armillis, gemmis & simili ornatu pretioso, quem sponsus in sponsam contulit? Dixim, in casu dubio donatum. Nam quod in casu licito absolute & sine limitatione donatur, absolute quoque debetur, donec contrarium probetur. Diss. Vide apud Treutl. & Bacchov. d. loc.*

#### I V.

Ad l. 23. queritur, an saltem donatio seu promissio morte confirmetur, si maritus uxori stipulanti promisit res, quas dona-

nare licet? De Iure Civili disputo, quod lubet. Sed de Mo-  
ribus, etiam de illis, qui hic sequuntur Ius Civile, ausus sum  
dicere, quod sola simplex promissio seu promissio de præsen-  
ti, qua maritus promissit stipulanti uxori, se ei donare hoc vel  
illud, omnino obliget. Vide nostra ad *tit. de pact. & de verb. ob-*  
*bligat. Diss. vide apud Fachin. 13. c. 79. Costal. & Bus. ad d. l. 33.*  
*Bronch. cent. 3. ass. 75. Groenevv. ad l. 1. C. h. t. Autumn. ad d. l. 23.*

Ad l. 32. §. 2. queritur, an donatio inter vir. & uxorem ita  
morte confirmetur, ut ne quidem insinuatione opus sit, licet  
egrediatur summam 500 aureorum? Neg. per ea, quæ dixi ad  
§. 2. *Inst. de donat. Diss. vide apud Fachin. 3. c. 72. An detractio*  
*Falcid. locum habeat in donatione morte confirmata, dicam*  
*ad tit. de l. Falcid. Vide interim Christin. d. decis. n. 3.*

Ad d. §. 24. d. l. 32. recte quidem Salmasius perstrinxit Ad-  
vocatum Parisiensem in d. §. interpretando; sed frustra ta-  
men quoad Mores, quibus & societas donationis causa inita  
valet inter quoslibet, multo magis inter vir & uxor. Vide *Sal-*  
*mas. ad jus Attic. c. 20.*

Reliquas ll. abrogatas vide apud *Autumn. & Groenevv. ad h. t.*

Ad l. 58. an questor presumatur ex bonis fiscalibus acqui-  
sivisse, vide apud *Costal. ad d. l. 51.*

V-

Ad l. 1. & seqq. tit. 2. queritur, an sint plures causæ divortii,  
quam dux? Neg. *Matth. 19. 1. Corinth. 7.* ubi adulterium &  
malitiosa desertio ita matrimonium dirimunt, ut pars inno-  
cens aliud contrahere possit, imo & nocens, licet uterque no-  
cens; quia hoc nusquam prohibetur, nisi dicamus compensa-  
tionem factam. *arg. l. 10. §. 2. de compens. c. signif. ext. de divort.*  
*Diss. vide apud Treutl. disp. 6. thes. ult. lit. b. & c. & ibi Bacchov.*  
*Hænon. disp. 6. Pand. thes. 17. Groenevveg. ad h. t. C.*

V I.

Ad l. 2. tit. 3. queritur, an soluto matrimonio dos proprie-  
dicatur? Sed hæc quæstio jejuna & de verbis videtur, teste e-  
riam *Bacchov. ad Treutl. d. thes. 10. lit. a. & disputavi de hac quæ-*  
*stione in disp. præced. th. 1. Adde Bus. rub. h. t.*

Ad §. 1. d. l. 2. & ll. seqq. queritur, an & pater dotem adven-  
ti-

ti-

tiam repetere possit, & an quædam verba à Tribon. in d. §. 1. adjecta sint? Sed frustra, quum dicta quæstio ulum non habeat. *Groenevveg. ad l. un. §. 13. C. de rei uxor act.* Vide tamen *Bacchov. ad Treutl. d. thes. 10. lit. c. Ant. Matth. d. disp. thes. 29. Fab. 13. conj. 5. Bus. ad d. §. 1. h. t.* Exercitii tamen causa disputo, quodcunque lubet. Vide *Costal. ad d. §.*

*Ad l. 5. 6. 7. quar. , an dd. ll. jure Codicis abrogatæ sint, & quomodo fructus inter vir. & uxore soluto matrimonio dividatur?* Sed cum Moribus fructus indistincte percipiatur pro oneribus matrimonii, jura causa hic dediscenda sunt, ut loquitur *Arg. ad consuet. Brit. art. 409. gloss. 1.* vel ut supervacua prætereunda, ut scribit *Groenevveg. ad dd. ll.* Vide tamen, si lubet, *Treutl. d. disp. thes. 12. lit. c. & ibi Bacchov. Bus. Costal. & Alios ad dd. ll.* An ergo mulier re ipsa quoque est in mora ab ipso die nuptiar. si maritus onera matrimonii sustineat? *Aff. per superiora.* *Diff. vide apud Costal. ad d. l. 5. An & quomodo §. 5. d. l. 7. correctus sit, vide apud Gothof. Bus. Autumn. ad d. §. An & quomodo §. 13. d. l. 7. justus sit, & conveniat cum l. ult. de fundo dot. & similib. vide apud Autumn. & Bus. Costal. ad d. §. Ioan. a Sande lib. 5. tit. 3. def. 3.* Cur autem hic utamur remissionibus, facile cuilibet constat ex antecedentibus.

*Ad l. 12. & seqq. quæritur, an privilegium competentie (ut vocant) dictis legibus indultum recte quarundam Gent. Moribus abrogatum sit? Neg.* Quia qualitas personarum præfatum beneficium extorquet. Vide *nostra ad §. 37. Inst. de act. & Groenevveg. ad l. 21. de re jud.* Sed quod tali beneficio hodie renunciare liceat contra *l. 14. §. 1. h. t. i. demonstravi ad tit. de pact.* Vide *Groenevveg. ad d. §. 37. An & quomodo pr. l. 17. conveniat cum l. 21. & 22. de re jud. disputavi ad d. §. 37.*

*Ad l. 20. vide Autumn. junct. Groenevveg. ad l. 73. de jur. dot.*

#### V I I.

*Ad l. 22. an d. l. sit tota Triboniani, nullus inquiri, quia tota fere loquitur de actione de dote, quæ hodie ipsi filie tantum competit, ut supra indicavimus. Sane §. 7. d. l. 22. non servandū, docet Bez a tract. de divort. p. 257. & seqq. Groenevveg. ad d. §. 7.*

Ad



Ad l. 24. quæritur, an mulier creditoribus jam in executione versantibus se opponere possit, & dotem deducere? *Aff. arg. l. 1. h. t. & quia ignoscendum videtur mulieri, quæ propter reverentiam maritalem dotem non prius repetiit. Diss. vide apud Treutl. d. diss. 7. thes. ult. lit. a. Sed quid, si sciens marito prodigo vel obærato nupsit, habebitne beneficium d. l. 24. pr.?* *Aff. d. pr. junct. d. l. 1. & l. 2. de jure dot. atque ita Moribus indistincte obtinet, teste Bus. ad d. l. 24. Diss. vide apud Eund. & Treutl. d. thes. ult. lit. a. Quod denique, si maritus ad meliorem frugem & pinguiorem conditionem pervenerit? Dos restituenda est; quia res hic rediit ad suam naturam, & dos natura sua penes maritum esse debet. Diss. vide apud Treutl. d. lit. a. in fin. Christin. vol. 2. decis. 140. Bus. ad d. l. 24. h. t. An ergo & maritus ad inopiam vergens liberatur à restitutione dotis, si offerat cautionem fidejussoriam? *Aff. quia cessat periculum. arg. l. 1. qui salis d. cog. Diss. vide apud Christin. d. vol. decis. 141.**

Ad §. ult. d. l. 24., an & quomodo actio de dote transferatur in filium, vide apud Costal. ad d. §. ult.

### V I I I.

Ad l. 33. quæritur, an d. l. pugnet cum l. 1. & ult. C. de dos. caut. non num. & similibus, & an injusta sit? Prius nego, posterior affirmo, sed alia ratione motus, quam qua movetur *Autumnus*, quem sequi videtur *Groenevv. ad d. l. 33.* scilicet maritus hic adivit hereditatem uxoris onerosam, qui in foro poli non tenetur ultra vires hereditarias, ut alibi dixi in foro servari ad *Tit. Inst. de hered. qual. & diff.* imo nec ultra id quod facere potest, maritus tenetur, sive stipulator, ut donatarius, sive ut mandatarius stipulatus sit, modo ex persona uxoris stipulatus sit, & in ejus locum succedere videatur. *arg. l. 32. h. t. Diss. vide apud Bus. ad d. l. 33.*

Ad l. 38. quæritur, an etiam dos amitatur propter osculum alteri datum? Negatur vel propter impudicum, quod minime præsumptionem adulterii inducit. *d. l. 38. atq; ita usu servari, testatur Bus. ad d. l. Diss. vide apud Eund. & Treutl. d. thes. ult. lit. b. Sed quid de stupro post mortem mariti commissio? Ne qui-*  
dem

dem propter hoc amittitur. *Nov. 39. c. 2. in fin. junct. c. 49. de R. I. in 6.* atque ita receptum in praxi, testatur *Pinel. in l. 4. C. de bon. matern. Bus. ad d. l. 38.* Diff. vide apud *Eosd. & Treutl. lit. b. junct. Costal. ad l. 15. & d. l. 38.*

Ad *l. 44. §. 1. & l. pen.* quæritur, an marito defuncto uxor ex hereditata utili actione agere de dote contra heredes patris possit, an vero debeat petere actionem cessam ab heredibus mariti? Sed cum tantum quæstio de modo agendi sit, & Moribus maritus hic uxori stipulatus censeatur, remitto curiosos ad *Fachin. 8. c. 73. & Bus. ad l. 44.* Led difficilior quæstio est, teste *Eod. Fachin. c. 74.* an heredes mariti, qui confessus est, se dotem accepisse, liberentur cedendo actionem, quam habent contra patrem mulieris promissorem dotis? Sed Moribus decisa est; quia confessioni mariti statur, donec contrarium probetur. *Groenevveg. ad tit. C. de dot. caut.* Quod tamen sic intelligi velim, ut tunc tamen pater vel heredes ejus teneantur, si maritus defunctus vel heredes ejus solvendo non sunt, ut alibi dixi de procuratore, qui confessus est, se accepisse, quod revera non accepit. Diff. vide apud *Groenevveg. ad d. t. & Fachin. d. c. 74. & Bus. ad h. l. 44.* Plures quæstiones de confessione dotis vide apud *Fachin. d. lib. 8.* Ratio remissionis est, quod pleræque jam à nobis definitæ sint, aut usum non habeant, ut quilibet etiam juris tyro facile animadvertit.

I X,

Ad *l. 5. tit. 1. Lib. 25.* quæritur, an *pr. d. l. 5.* corrigatur per *l. un. §. 5. C. de rei uxor. act.* Sed frustra, non solum ob rationes quas recenset *Groenevveg. ad h. t.* sed etiam ob hoc vulgatum, quod nemini concedendum videatur, ut sit judex in propria causa. *l. 17. de judic.* Sed compensationem hic casu habili posito locum habere, nullus dubito. Vide *Bus. ad l. 7. sol. matr. & nostra ad tit. de compensat.* Diff. vide *ibid. & apud Treutl. p. 1. disp. 25. thes. 8. & ibi Bacchov. Costal. ad l. 1. h. t.* Quænam sint impensæ, quæ non veniunt in reputationem, & quodnam sit seminarium, vide apud *Gothof. ad d. l. 1. & 3. h. t.*

Ad *l. 25. tit. 2.* quæritur, an hodie actio rer. amot. locum ha-

habere possit, si matrimonium ad modum Iure Civili observatum contra factum est? Neg. quia propter res amotas non licet facere divortium, ut supra dixi ad *tit. de divort. Diss. Groeneveeg. ad h. t. C.*

Ad *l. 28. tit. 3.* queritur, an *d. l.* abrogata sit per *l. ult. §. fin. C. de furt.* Sed frustra, quum hodie actio furti privato non detur, nec actio rer. amot. quia maritus & uxor una caro sunt, nisi facta sit separatio thori & mensæ, *Zoes. hic in fin.* Aliam rationem proponit *Groeneveeg. ad. d. l. 28.* Adde *Bus. ad d. l. 25. & Autumn. ad d. l. 28.*

Ad *l. 4. tit. 3.* queritur, an qui partum præ foribus posuit, necare voluisse videatur? Neg. arg. *d. l. 4.* que forsitan loquitur de expositione in sylvis & similibus locis. Quod pater adoptivus teneatua filium adoptivum extraneum alere, significavi ad *tit. de adopt. Diss. vide apud Fachin. lib. 12. c. 60.* An & patruus nepotem? Aff. arg. *c. 14. Genes. Diss. vide apud Fachin. d. lib. 12. c. 61. Christin. ad h. t. c. decis. 143.*

Ad *l. 1. pr. tit. 4.* an uni perito credendum sit? Neg. *d. pr.* nisi præsumptive, ut alibi dixi. Duas alias quæstiunculas huc pertinentes vide apud *Costal. ad d. l. 1.* Tertiam vide apud *Eund. ad l. 1. tit. seq.*

Ad *l. 3. tit. 7.* queritur, an in dubio quis ex concubinato natus, an spurius præsumatur? Aff. prius, quia delicta præsumenda non sunt. *l. 5 1. pro soc. & c. 2. de fil. pres. b.* nisi alia præsumptio contrarium suadeat, ita ut hæc quæstio sua natura arbitrio iudicis relinquenda videatur, *Diss. vide apud Bus. ad l. 1. §. ult. h. t.*

Ad *§. 1. d. l. 3.* queritur, an Iure Canon. concubinatus prohibitus sit? Sed frustra, quum jure Divino manifeste vetitus sit. *1. Cor. 7.* Vide *Bus. ad d. §. Zyp. in Iur. Pontif. nov. anal. tit. de cohab. cler. Selden. de jure nat. lib. 5. c. 7. Zoes. ad h. t.* De modis legitimandi dixi alibi, Adde *Christin. d. vol. decis. 145.* Quod Moribus uxor revocare possit, saltem pro sua parte, donationem à marito in pellicem collatam, nullus dubito. Vide *Christin. ad h. tit. C. decis. 26.*